



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Compendium Totius Tractatus De S. Matrimonij  
Sacramento R. P. Thomæ Sanches E Soc. Iesv**

**Sánchez, Tomás**

**Coloniæ Agrippinæ, 1624**

4. Capitulum.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-41559**

*Cantilena.*

1 **C**Anere vel facere cantilenas turpes plenas lasciujs, peccatum est mortalē, *lib. 9. disput. 46. nu. 42.*

*Canonicus.*

1 Canonicus dispensatus in ætate ad ordines, habet vocem in Capitulo, à qua erat incapax ratione defectus ordinis subdiaconatus, *lib. 8. disp. 1. nu. 23.*

2 Canonicus, vt sit capax commissionis à Papa factæ, sufficit esse in dignitate tempore præsentationis rescripti, etiamsi non habeat eam tempore impetrationis; & quocumque temporis puncto, cessante dignitate; transit commissio ad successorem in dignitate. Secus dicendum, quando commissio est personalis, *lib. 8. disp. 27. nu. 12 & 28.*

*Capellania.*

1 Accipiens aut retinens capellaniam absque animo saltem conditionali ascendendi ad sacerdotium, quando ea habet onus missarum per capellanum implendum, peccat mortaliter. Secus dicendum, si fideliter impleat onus, & redditus non excedant centum nummos aureos, nisi aliud constet ex verbis institutoris, *lib. 7. disp. 45. nu. 15.*

*Capitulum.*

1 Capitulum sede vacanti potest dispensare in omnibus casibus occultis concessis Episcopo. Secus dicendum de commissione facta Episc.

Episcopo tanquam Sedis Apostolicæ delegato; & quando non competit Episcopo via ordinaria, *lib. 8. disp. 2. num. 10.*

*Cardinalis.*

1. Ut coniugatus fiat Cardinalis, solum requiritur sumere ordines sacros sine ingressu religionis vxoris, licet ille non creetur Episcopus, *lib. 7. disp. 4. nu. 4.*

*Catechismus.*

1. Catechismus est instructio fidei, quæ fit ante ianuam Ecclesiæ super baptizando, diciturq; sic à catechizo, quod est instruo. Et antèto iure antiquo contrahebatur ex illo impedimentum impediens per professionem fidei nomine infantis factam, & extendebatur ad personas & gradus, ad quas cognatio ex baptismo orta, siue sit, vel esset ante baptismum, siue post, siue simul, & non oriebatur ex exorcismo: quod impedimentum impediens est omnino sublatum per Conc. Trid. *sess. 24. de matrimonio, c. 2. l. 7. disp. 10. à nu. 1. usque ad 12.*

*Causa.*

1. Causa iusta dispensandi in denunciationibus, non solum est suspicio malitiosum impedimenti, sed sunt multæ aliæ arbitrio ordinarij. 1. Est contrahentiū pudor, aut verecundia orta ex disparitate nobilitatis, ætatis, vel diuitiarum, vel quando ambo sunt senes, 2. Quando est infamia concubinarij existimati diu coniugati, 3. Si sint magnates, licet non sit timor impedimenti. 4. Appropinquitas temporis, quo